



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Constantino quoque Licinius perniciuem machinari cogitauerit.  
Cap. XLIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

eximii imperatoris sorore duxisset, relicta preclarorum hominum imitatione, perditos impiorum mores & institutum æmulari cepit. Et quorum infelicem vitæ exitum oculis aspexisset, eorum sceleratam mentem sequi maluit, quam in firma præstantioris viri amicitia acquiescere.

*Quomodo Constantino quoque Licinius perniciem machinari cogitauerit.* CAP. XLIII.

**I**Taque nec legum amicitia, nec fœderum, nec cognitionis, nec pactionum, memoriâ omnino animo tenens, bellum crudele & pestiferum contra patronum suum monet. Nam sicut Constantinus utpote princeps humanissimus, verè benevolentia erga illum ostendit inditia, maiorum cognitionis, regii sanguinis antiquitus ducti confortem fieri voluit, sorore ei collocavit in matrimonium, liberam denique totius imperii perfructum potestatem tanquam cognato & collegæ regni tribuit. Sic ille contraria animo statuens, contra meliorem præstantioremque hominem machinas comparavit: aliosque alias excogitavit insidiarum modos, quod patroni sui benefacta malefactis compensaret. Ac primum amicitiam callidè & veteratorie simulans, dolo & fraude egit omnia & propterea, que temerè admittebat, clam fore speravit. Cæterum eius insidias ex occulto structas deus famulo suo patefecit. Iste igitur simulac fuit in primis illis conatibus manifestò præhensus, ad secundas fraudes se contulit: Cæpitque interdum benevolentiam & necessitudinè prætexere, nonnunquam fœderibus & iureiuratio fidem facere tum quasi de repente decreta antiquare: rursus per legatos supplicare: iterum ex mendacii simulationibus turpi ignominia labe notatus, tandem bellum palam indicere ac mentis adeo temeritate & insolentia incitatus, de cætero ipsi deo (quem Constantinum imperatorem angustè venerari cognovit) se opponere.

*Licinii technæ contra episcopos, & conciliorum inhibitione.* CAP. XLIIII.

**P**rimum enim contra dei ministros, eius subiectos imperio, qui nunquam quicquam criminis contra imperium admisissent, pedetentim tum & dissimulanter, causas astute & fallaciter confictas aucupari molitus est. Et cum